


PROLEGOMENA.

scripserit Homerus. Primum Herodotus dicit, eum apud Thestoridem Phocææ minorem Iliadem fecisse, cuius initium est:

Ἴλιον ἐπέδω, καὶ Διὸς Δαίμων ἰόντοιο

Ἦς ἐπέ πολλὰ πάρον Δαναοὶ ἦσαν πάντες Ἀχαιοί.

Sed & Phocæidem ab Homero scriptam, asseuerabant Phocenses. Apud Chium, qui illum liberorum suorum educationi præfecerat, composuit, Cercopas, Batrachomyomachiam, Epicichlidas, & alia multa, quæ innominata relinquit Herodotus. Aristoteles Margiten eius laudat. Suidas recenset eiusdem Amazonia, Reditus, Ethiepaetos siue Iambos, Arachnomachiam, Geranomachiam, Ceramida, Amphiarai exitus, Pægnia, Siciliæ captiuitatem ( id est, ἄλωσις ) Epithalamia, Circulum, Hymnos, & Cypria. Quæ omnia perierunt, nisi Hymnos restare velis, quos tamen multi huic nostro Homero non asserunt, quod idem etiam iudicium de Batrachomyomachia ferunt. Nobilissimum vtrumque illud Poëma, Ilias & Odyssea, extra aleam est positum, quod sine controuersia Homero tribuitur: atque eius etiam meminit Plutarchus. In Iliade virtutem corporis, inquit Politianus, in Odyssea fortitudinem animi repræsentat. Vbique tam diuinum apparet ingenium, vt non sine admiratione legi possit, ac verè de illo hæc pronunciãrit Democritus, Ὁμοῦ φύσιν λαχὼν ἡλιόμοις ἐπίτηθε μοι ἰπικτήνας πικρῶν. Vtram prius scripserit multi dubitant, sed tamen ego ijs assentior, qui Iliadem Odysseæ anteponunt. Ferunt hæc Poëmata primùm dispersa fuisse, neque hoc ordine scripta à Poëta quo nunc disposita cernuntur. Siquidem nullus veterum libros Iliadis aut Odysseæ laudat, sed tantùm quali locos communes, vt ex Iliade Naumachiam, Doloniam, Strenuitatem Diomedis, Nauium Catalogum, Patrocleam, Redemptionem Hæctoris, Parentalia ad Patrocli tumulum, Fæderis isti violationem: ex Odyssea verò Telemachi peregrinationem, Calypsus antrum, Vlyssis nauigationem in rate, Alcinoi apologos, Cyclopeam, Nectomy, Circes lauacra, Procorum cædem. Ea quæ in agro gesta sunt vel apud Laërtem, vt scribit Ælianus variæ historiæ lib. 13, cap. 14. Quis ergo hæc omnia ita digessit? Respondet ibidem Ælianus, Pisistratum, sed octauo libro id videtur Hipparcho filio Pisistrati tribuere, cui etiam astipulatur Plato. Primus autem Lycurgus, vt tradit Plutarchus & dicto lib. 13. Ælianus, vniuersam Homeri Poësin in Græciam inuexit, idque ex Ionia. Sed de his alij ante me iam dixerunt, ex quorum monumentis petenda erunt quæ nos omittimus. Mihi prolixiori esse per Typographos, & meas etiam occupationes non licet. Superest vt de meo instituto paucis agam. Primum ergo cum animum meum ad legendum studiosè Homerum appulissè, quod hunc esse rei literariæ Principem intelligerem, vix vnum aut alterum vidi qui eum aliqua ratione commodè illustrasset, cum tamen ferè nullus ex insignioribus scriptoribus reperiri possit, qui manum viri alicuius docti non senserit. Itaque fatum Poëtæ nostri miserari subibat, quod tale quid ei nondum contigisset. Vnus Camerarius, quod sciam, id tentauit, cuius rei specimen in primis duobus libris Iliadis edidit: quod cum auidè optarem, nunquam fuit vt id potuerim adipisci, propter raritatem exemplorum iam à 45. annis excusorum, donec ego ad metam mei laboris peruenerim. Sed & Ioannes Hartungus aliquid in eodem præstitit, sed nihil hæctenus videre potui. E Græcis extant scholia, quæ Didymo veteri Grammatico tribuuntur, & vasti illi Commentarij Eustathij ( qui tempore Camerarij non videntur fuisse euulgati, vt ex eius Præfatione in primum Iliadis colligo ) qui duo post tot Homericos Interpretes, quorum numerum recenset idem Camerarius, nobis restant: sed neuter mihi satis in hoc Poëta laborasse videbatur, quod vt plurimum in verbis enucleandis Grammaticè versentur, aut in fabularum narrationibus fusiùs & ad fastidium exponendis, quod ipsum præstitit in suis Commentarijs Camerarius, non altiùs assurgens quàm vulgus Grammaticorum. Itaque aliquid ampliùs desiderari ad veram in tam graui autore commentandi rationem animaduertebam. Placuit ergo siue iuuenili, siue Poëtico furore, id aggredi, quod tandem post multos labores consummaui vbi à trita Interpp. semita omnino recedo, Grammaticam illam Verborum peculiari operi (quod Lexicon Homericum inscribetur) destinans. Hic rerum in hoc Poëta insignium obseruationem sum persequutus, non vt debui fortasse, sed sanè vt potui: ultra vires meas autem aliquid à me postulare iniquum est, spero tamen me maturescente iudicio, & crescente hoc, qualiscunque est, doctrinæ amore, dignius hoc Vate aliquid olim exhibiturum. Vtinam per reliqua mea negotia id mihi liceat, quod summis votis à Deo Opt. Max. peto, cui laudem & gloriam ex meis, siquid præ se ferunt boni, debeo, ac imposteriorum debebo. Intereà Beneuolum lectorem oro, vt omnia ad viuum vnguem ne refecet, sed erroribus meis humanè ignoscat, ijs quæ rectè scripta iudicauerit non inuideat. Subijciemus Epigrammata ex Anthologia excerpta in laudem Homeri, non quasi ijs egeat Poëta clarissimus, Sed vt tot testes illius præstantiæ & splendoris, impudentiæ & malitiæ illius calumniatores conuincant.



ΕΙΣ ΟΜΗΡΟΝ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΑ  
ΠΑΛΙΑ ΔΙΑΦΟΡΩΝ.

Ἐκ τοῦ πρώτου καὶ τοῦ τρίτου καὶ τοῦ τετάρτου τῆς ἀνθολογίας  
τῶν ἐπιγραμμάτων.

ΛΕΩΝΙΔΟΥ Ταραντίνου εἰς  
Ὅμηρον.

Ἐπεὶ μετ' ἡμαῦρος, καὶ ἱερὰ κύκλα σελήνης  
Ἄξονα δινήσας ἔμπυρον ἠέλιον  
Ἵμνοπέδω δ' ἀγγελῶδον ἀπημάδηνωσεν Ὅμηρον,  
λαμπρότατον μυσῶν φέρον ἀναχόμενον.

ΑΛΦΕΙ-